

1796, 4
fase
4

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
CAVSIS OBLIGATIONIS AD EDENDA
INSTRVMENTA IN GENERE

ANNEXIS
VINDICIIS IMMVNITATIS REI
AB EDITIONIS ONERE

QVAM
AVSPICIIIS REGIIS
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE CAPESENDIS HONORIBVS

DIE XV. OCTOBRIS MDCCXCVI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R
FRIDERICVS WILHELMVS KOSSEL
SVERINO - NIEGAPOLITANVS.

G O T T I N G A E
TYPIS IO. CHRISTIAN. DIETERICH.

DISSEMINATIO INAGARVIA
DE
CIVICIS ORGANISATIONIBUS AD FEDERAT
TESTIMENTI IN GENERE
AD
ALLEGORIAS INMINUTAS HAB
TITULOS DE CIVICIS ORGANISATIONIBUS
ET TESTIMONIA
AD
TESTIMONIA ALLEGORIAS
TESTIMONIA ALLEGORIAS ORDINE ALLEGORICO
DE
TESTIMONIA ALLEGORIAS HISTORICIS

ALLEGORIAS
TESTIMONIA ALLEGORIAS HISTORICIS

~~Ma~~ autem magistris et doct^{is} iuris utrumque
est. quae etiam ad alios non solum
pertinet sed etiam ad ipsos. Et hinc
etiam est quod omnes iuris iustitia
ad alios non solum pertinet sed etiam
ad ipsos.

~~qui~~ etiam iuris iustitia ad alios non solum
pertinet sed etiam ad ipsos. Et hinc
etiam est quod omnes iuris iustitia
ad alios non solum pertinet sed etiam
ad ipsos.

§. I.

~~in~~stituti ratio.

Innumeras audimus in foro agitari lites, quae vel editio-
nis documentorum causa excitantur, vel quarum occa-
sione ista de re acriter certatur: haud minores reperimus
controversias in liberis interpretum, super editionis ar-
gumento tractatas: iustissimas tandem legimus querelas,
celeberrimorum ICtorum de eo, quod maximae circa
hanc doctrinam sint difficultates *a*), quod hoc argumen-
tum tam implicitum atque dubium sit, vt firmas ratio-
nes, quibus doctrinae huic asserta superstruerentur, de-
sideremus *b*), quaeque id genus sunt alia. Quibus omni-
bus, quantum sat est, probatur, argumentum hocce
maximi esse momenti, multumque abesse, vt hactenus
de eo acta omnem sequentem rei eiusdem tractationem,
inutilem atque superuacuam reddidissent. Putauit itaque,
me, doctorales honores ambientem, operaे pretium factu-
rum, si iuuenilium hinc debilium virium periculum in
parte eius doctrinae disquirenda ficerem. In animum
nempe induxi, exponere principia generalia de causis,
quibus obligatio ad edendum instrumenta niti possit.
Quibus rite distinctis, tractabo quaestionem: Num reus

A

quoque

quoque ad edendum actori instrumenta obstrictus sit?
quam nuper Dn. MANSO c) negavit, ego vero affirmabo,
affirmatamque iuris principiis probare, et ab eis vindicare
conabor, quae iste vir in contrariam protulit partem.

a) LEYSERI meditat. ad Pand. Spec. 38. med. I.

b) JO. GEORG. WERNHER Diss. inaug. De reo actori ad edendum
obligato. (Gottingae 1739.) §. I. Conf. quoque eruditus Dn.
DE TEVENAR in *Theorie der Beweise im Civil-Proceß*. Ab-
schnitt 4. Abtheil. 3. p. 160. perhibens die Edition ist der ver-
wickelste Incident-Punct im Proceß.

c) CAROLUS JACOBUS MANSO Diss. Reus ab editione instrumento-
rum non immunis, sed perinde ac actor ad eam obligatus est,
Jenae 1788, 8.

§. II.
Causae difficultatum huius doctrinae investigantur.

Liceat mihi, antequam rem ipsam aggredior, quae-
dam de causis praefari, quibus totum de instrumentorum
editione argumentum, tot tantisque dubiis subiectum esse
puto. Malum illud magis iuris interpretibus, quam eius
conditoribus vitio dandum videtur. Tantum enim abest,
ut legislatores nostri hanc materiam silentio praeteriissent,
ut potius, tam in Digestis quam in Codice, proprios repe-
riamus titulos, quibus ex proposito de edendo agitur,
sparsimque pluribus locis huius argumenti mentionem
habitam innueniamus. Sententiam vero cuiusdam SIL-
LEM a), existimantis, semper fere in legibus iuris Ro-
mani vnicore tantum de editione librorum rationum argen-
tariorum

tariorum quaestionem esse, omni destitui fundamento, quemlibet leges ipsae, praesertim Codicis inspectae docēbunt. Alii b) nimiae generalitatis arguunt leges, quā factum esse censem, vt huc vel illuc torqueantur, sicque diuersimode explicitentur. Licet contra hanc criminationem plene defendi nequeant, tamen nequaquam arbitror, ambiguitatem, de qua querimur, ex sola ista causa originem trahere: nam clarissimas quoque leges huc vel illuc torqueri et diuersimode explicari notissimum est. Praecipui et fere vnici mali, quo laboramus, auctores interpres mihi videntur, qui pro lubitu firmanter regulas, quas postea innumeris circumscribunt exceptionibus limitationibusque, et veluti tollunt, qui plerumque confundunt, quae plane sunt diuersa, qui denique absque vlla legis auctoritate, aliis priuilegia imperant, aliis impomunt obligationes c). Sed hanc contenti, sibi ipsis talia iura arrogasse, iudices quoque veluti partae victoriae participes reddere cupiunt, hunc sere in modum dissenserentes: causas ex aequo et bono peti a iudice: posse iudicem, si aequitas et circumstantiae suadent, aliquando a regulis vulgaribus recedere d): aequitate vel iustitia manifesta flagitante licere iudici, repugnantibus stricti iuris regulis, editionem iniungere e): primam editionis causam arbitrium iudicis esse f). Dulce primo auditu sonantia verba! Si autem accuratius et maiori diligentia istam doctrinam inspicere digneris, magis apta, vt horrorem quam vt gaudium iniciat, tibi appareat necesse est. Ianuam enim auditumque libero

A 2

iudicis

iudicis arbitrio patefacit, quo libertati atque securitati ciuili iniquius periculosiusque vix aliquid cogitari potest. Illo admissso, non amplius legum serui sumus, sed iudicium, qui, dum in casu obuio, minime secundum leges, sed pro arbitrio statuunt, statutumque simul exequuntur, potestate quasi legislatoria cum iudicaria coniuncta gaiderent, et vi tramque uno eodemque actu exercerent: quod non solum sanae rationis et politices regulis e diametro oppositum foret, sed iudicis quoque officii limites longe egrederetur, quippe cuius est ius dicere, non dare, qui *in primis illud obseruare debet, ne aliter iudicet, quam legibus, aut constitutionibus aut moribus proditum est g.* Parum solatii et securitatis contra iudicium iniquitates et iniurias nobis praebere potest, quod dicant Doctores, iudicibus in arbitrio determinando aequitate naturali duce vtendum esse. Nam cum animus humanus nondum eo peruerterit, nec facile peruenturus sit, ut firmas atque indubitas naturalis aequitatis finire regulas, sed quidnam illi conueniat, quidnam repugnet, tot tantisque inter iuris naturae Doctores agitatis controversiis obnoxium sit: exitus alius esse nequit, quam vt res postremo nihilominus ad iudicis arbitrium redeat, ipseque aequitatis naturalis praetextus malum, cui mederi deberet, reddat insanabile: admodum enim difficile, ne dicam impossibile, erit iudicem, cui, si contra leges indicauit, aequitatem naturalem causare licet, erroris nedum malitia arguere vel conuincere.

Malis

Malis igitur, quae ista doctrina gignuntur, aequo
perpensis animo, omnium ICTORUM, quibus libertas et
securitas civilis curae cordique est, esse arbitror, ut sum-
mis enitantur viribus, ne iuris scientiam administratio-
nemque, quae innumeris iisque grauissimis laborant vitiis,
incertiorem reddant atque difficiliorum, iudicis defenden-
tes arbitrium: sed ut potius iudicibus probare gestiant,
vnicam indicandi normam leges illis esse debere, cau-
endumque, ne quadam aequitatis specie se moueri patientur,
nec ad ius tribuendum illi, cui lex non tribuit, nec ad
onerandum obligatione illum, quem lex immunem esse
voluit.

Hactenus dicta de aequitate accipias quæeso, cui
legis sanctio haud accedit. Contrarium nimirum sentien-
dum, quando legislator aequitate ductus aliquid statuit,
vel aliquid definiendum expresse ad iudicis arbitrium
contulit, quorum posterius a bonae legis indole longe
alienum puto, quamvis saepius a iuris nostri conditori-
bus factum reperiatur. Quod etiam in editionis materia
per L. 1. C. de edendo admissum contendunt, qui iudicis
arbitrium tueruntur h): sed videamus ipsius legis verba,
quae haec sunt: "Ipse dispice, quemadmodum pecuniam,
quam te deposuisse dicas, deberi tibi probes. Nam quod
desideras, ut rationes suas aduersaria tua exhibeat: id
ex causa ad iudicis officium pertinere solet i)." Postre-
mis verbis regulam stabilitam putant, licere iudici iniun-
gere editionem ex quacunque causa, quae iusta illi
videretur.

Ista vero interpretatio à vero legis sensu prorsus aliena mihi videtur, adeo ut pro contraria sententia argumentum haud leue inde repeti posse persuasum mihi habeam. Imp. Antoninus nempe Emilio actori, ab adversaria seu rea instrumentorum editionem petenti, ita rescribit: dispiciendum siue curandum esse illi ipsi, unde sumiat media, quibus depositam pecuniam, quam repetebat, probare queat, addita ratione, quoniam non sit iuris, ut reus proprias edat actori rationes, nisi specialis adsit causa, qua reus ad edendum obstringatur, cuius inuestigandae cura ad indicis spectaret officium h). Neutiquam igitur Imperator hac lege iudici tribuit facultatem, editionem, quandocunque libuerit, iniungendi, sed potius expresse disponit, reum ad edendum actori haud teneri, nisi ex causa iure expressa et a iudice indaganda. Verbum solet, quo vtitur Imperator, certe indicat, eius mentem haud suisse noui aliquid statuendi, sed ad ius iam pridem constitutum illum voluisse actorem relegare. Sed redeamus unde diuertimus.

a) In diss. inang. sistente aliquot capita in editione instrumentorum occurrentia. (Göttingae 1790.) §. 8.

b) WERNHER l.c.

c) Assertionis huins luculentas probationes videre licet apud FULV. PACIANUM de probationibus. Lib. 1. cap. 63; praecipue nr. 66. 99. 121. 127. 129. 140-157. et apud MENOCHIUM de arbitriis iudicium quaestionibus. Lib. 2. Cent. 5. Cas. 499. nr. 75-82. ut alios taceam.

d) LEYSER l. c. med. 1. ibique cit. GOTHOFREDUS ad L. I. C. de edendo.

e) WERNHER

- e) WERNHER I. c. §.2. omnis utrum beatus velinq; sit
 f) BERTRAND Vol. 2. Part. 1. Cons. 102. nro. 10. nō pro telegria
 g) pr. I. de officio iudicis.
 h) LEISER I. c. MENOCH I. c. nro. 3 fqq.
 i) Veterum quorundam ICTorum opinionem, aduersariam, cuius
 mentionem lex facit, argentariam fuisse omni destitui funda-
 mento probavit. HERM. HUEB in diss. prima de argenteris
 veterum, cap. 3. §. 4. (in OELRICHS thesauro diss. Belgicarum,
 Vol. 2. nro. 1.)
 k) PACIAN d. l. Cap. 61. nro. 60, et Cap. 63. nro. 158. BRUNNE-
 MANN ad L. 1. C. de edendo.

§. III.

Notiones instrumentorum, eorumque editionis.

Praemittenda mihi sunt quaedam adhuc, quibus viam
 muniam, et interpretationi a sensu meo alienae obuiam
 eam. Ut pro scriptorum more a definitione exordiar,
 apponam istam instrumenti in sensu stricto a) sat notam
 et exactam, qua dicitur *scriptura ad fidem de veritate*
facti faciendam idonea. Instrumentis ita definitis ratio-
 nes quoque comprehenduntur: nec, ut posteriores a prio-
 ribus secernantur, pro meo instituto opus est, quia istius
 distinctionis, a quibusdam doctoribus proditae b), nullus
 quoad thema peragendum est usus. Ex eadem causa alias
 quoque instrumentorum diuisiones omitto. *Editionis*
 vocabulum a pluribus ICTis ad istam exhibitionem restrin-
 gitur, quae sit ad instruendam causam c), qua in re vnic
 editionem respiciunt, quae probationis inde instruendae
 gratia

gratia petitur. Sed cum in animum induxi, omnes et singulas exponere causas, quibus ius petendi ab altero documentorum editionem niti possit, vocis edere significatus tam artis finibus circumscribi nequit, sed tam late accipiebundus est, ut amplectatur quemlibet actum, quo alteri instrumentum exhibemus, seu copiam illius facimus; nullo habito respectu an editio petatur sive ad instruendam probationem, sive ad alium qualcumque finem, sine incidenter et simplici iudicis officii imploratione, sive propria et speciali actione, vel ex iure in rem vel ex iure in personam descendente d). Editionis autem finis, atque modus, nec non facultas de instrumentis disponendi aestimantur ex natura iuris, quod petendo editionem persecuti sumus e).

a) In sensu latissimo instrumentorum nomine omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest: et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur. L. 1. D. de fide instrumentorum.

b) v. g. PACIAN qui l. c. cap. 63. agit de rationum editione cap. 64. autem de instrumentorum editione:

c) WERNHER in diss. cit. §. 3.

d) Nec legibus nec doctoribus istum loquendi morem inusitatum esse probatur L. 9. pr. D. de edendo. PACIAN d. l. cap. 66. nr. 22. RUTG. RULAND de commiss. Part. 2. Lib. 5. cap. 17. nr. 7.

e) Differentiam inter edere et reddere rationes L. 89. §. 2. De V. S. exprimit his verbis: "Inter edere et reddi rationes multum interest: nec is, qui edere iussus sit, reliquum reddere debet, nam et argentarius edere rationes videtur, etiamsi quod reliquum apud illum sit, non soluat."

§. IV.

§. IV.

Communis modus explicandi hoc argumentum reicitur.

Caliginis, qua doctrina de editione obducta est, praecipua causa procul dubio latet in incuria inquirendi illius fundamenta, secernendique quae nullo modo inter se coniuncta sunt, cuius praeorsum veteres ICtos, qui hanc rem tractarunt, reos facere audeo; haud metuens criminationis calumniae immodestiaeue incurrere periculum. Probant enim accusationis iustitiam exceptions et limitationes, quas regulis ab ipsis paulo ante stabilitis subiungunt. Sic v. g. a regula: reus ab edendo immunis, exceptiunt, quando actor iure dominii vel contractus instrumenta ad se pertinere, siue ipsi cum reo communia esse contendit, pluresque alios casus, qui regulae prorsus non subsunt a). Qui principiorum defectus efficere debuit, ut quo profusius rem disputarent, eo impeditiorem eam redderent. Igitur quidam b), necessaria principia sentientes, hoc modo illa desinienda putarunt: peti, aiunt, editionem vel imploratione officii iudicis, vel ordinaria actione: priori casu distinguunt inter iudicis officium noble et mercenarium: posteriori, quando nempe ordinaria agitur actione, longam addunt seriem subdivisionum actionum. Sed facile perspici potest, istis parum lucis vel potius nullam nostrae doctrinae allatam esse, cum partim summe arbitraria sint, partim iuris nostri principiis haud conueniant. Aliud incertitudinis et ambiguitatis remedium Doctores quaesiverunt in diuulgata ista instrumentorum divisione in propria et communia. *Pro-*

B

prium

prium illis dicitur instrumentum, si quidquid usus in eo competere potest, id omne ad unum eundemque spectat: commune vero, quod ratione usus cuiuscunq; ad plures pertinet c). Animaduertentes partitionem rerum in proprias et communes, vti alias saepe occurrit, explicando argumento de instrumentorum editione haud sufficere, instrumenta propria et communia esse docent, non solum ratione materiae, sed etiam, vti loqui amant, ratione formae seu constitutionis, i. e. prout contenta, vel in propriam vel in communem utilitatem, consignata sunt d). Communis instrumenti iure Romano mentionem haberi, negari nequit e): minime vero notiones instrumenti ratione formae communis vel proprii, quales Doctores illas formarunt, inde euincuntur. Dixisse illarum auctores velim, cuinam iurium generi illud adnumerandum sit, quod ex illorum sententia in instrumento, quoad dominium materiae alieno, quoad constitutionem communis competere dicunt, cum iuribus in rem accenseri nequeat, et tamen, vt exerceri possit, personam obligatam haud requiri doceant. Sufficiat hic obiter indicasse dubia et ambiguitates, quae ista doctrina gignuntur, cum, vt latius excurrat, finis et limites, quibus circumscribor, haud permittant. Iam conabor, an alio modo doctrinam, quae circa editionem documentorum versatur, explicare valeam.

a) MENOCH Lib. 2. Cent. 5. Cas. 499, nro. 75-82. DONELLUS Comment. iur. civ. Lib. 23. cap. 7. WAHL (resp. SCHLAPP.) diss. de editione instrum. (Giessae 1733. not. 99.

b) RULAND

- b) RULAND I. c. Part. 2. Lib. 5. cap. 17. nro. 4. PACIAN d. 1. cap.
66. nro. 9.
- c) CAROL. WILH. MARTENS Diss. inaug. de instrumento communi.
eiusque editione. (Gottingae 1773.) §. 4.
- d) MARTENS §. 6.
- e) v. g. L. 7. C. de edendo.

§. V.

Generaliter fundamenta obligationis ad edendum traduntur.

Nil magis iuri conuenit, quam ut quilibet, qui aliquid petit ab altero, rationem petitionis suae reddat, et demonstret fundamentum iuris, quod sibi asserit, et obligationis alterius, quae illi respondet. Quod, sicuti in quauis iuris parte, ita quoque in doctrina de edendo procedere debet. Igitur ut editionem instrumentorum petere liceat, causa legibus approbata adsit necesse est, qua petitio iusta atque legitima reddatur atque probetur. Ista vero causa duplex esse potest respectu originis. Posita enim est, vel in speciali iuris titulo, virtute cuius facultas exigendi, ut documenta edantur, nobis adquisita est, vel proficiscitur ex generali sanctione, qua ius petendi instrumentorum exhibitionem quibusdam, qui alias illo caruerint, attributum est. Specialis autem titulus, siue ius, quod agendi fundamentum constituit, ad alterutrum iuris subjecti speciem, nempe siue ad ius in rem, siue ad ius in personam, referendum est. Hunc itaque secuturus filum, disseram pauca sigillatim de causis obligationis ad edendum, primo ex iure in rem, deinde ex iure

B 2

in

in personam, denique ex generali legum dispositione proficiscentibus a).

a) Agere tantum volenti de editione ex principiis iuris privati, silentio praeterire licet, quam ille, penes quem summum imperium est in ciuitate, petit virtute summae inspectionis iuris.

§. VI.

I) De editione, quae petitur vi tituli specialis

a) ad ius in rem pertinentis.

Vti in omnibus aliis rebus corporalibus, ita quoque in charta seu materia, cui aliquid inscriptum est, dominium in sensu strictissimo competere posse, notissimi iuris est. Acquiritur nobis dominium corporis instrumenti iisdem modis (quatenus obiecti natura admittit) iisdemque titulis, quibus aliarum rerum nanciscimur dominium. Dominio autem materiae ad nos spectante, ex iuris Romani principiis de adjunctione, quidquid illi inscribitur, tanquam accessorium, nobis rei principalis dominis cedit a); saluis tamen ceteroquin scribentis iuribus ac remediis ad consequendam indemnitatem, si quam petere possit b). Quod adhuc hodie obtinere puto, cum, quid eius applicationi obstet, haud perspicio, licet doctissimas quisquam alienae chartae inscripserit meditationes. Nam vnicce ad dominium chartae respici, nostrarum legum conditores voluerunt, nulla habita ratione neque litterarum, licet aureae sint, neque argumenti scripturae, licet carmen contineat, siue historiam, sine orationem, quae certissime etiam tunc temporis Romani maioris habuerunt pretii, quam chartas membranasue c). Praeterea instrumenti

menti dominium non vni solum competere, i. e. solitarium esse, sed communio dominii inter plures, i. e. condominium illius cogitari, potest. Natura rei haud suadente, vt recedamus a generalibus iuris regulis, quae in vniuersum intuitu condominii statuta sunt, etiam ad dominium instrumenti inter plures commune applicanda sunt d): hinc eiusmodi condominium nascitur vel ex conventione, vel citra eandem: siue incidenter e. c. condominium plurium coheredum in instrumento hereditario, plurium legatariorum in instrumento communiter legato, plurium donatariorum in donato, plurium qui communis nomine emerunt vel faciendum curarunt: porro, ad instar dominii solitarii, acquiritur vel accidente traditione, vel absque illa v. g. in transitu legali e), vel in omnium bonorum communione f) etc. Sed vt in dominio subsistamus, haud opus est. Cum enim quaevis res, quae commercio non est exempta, et saltim quoad usum alienari potest, pignoris recipiat nexum, extra omnem dubitacionis aleam positum videtur, instrumentum, non solum tanquam alias rei symbolum g), sed etiam tanquam pignoris verum obiectum, validissime oppignorari posse. Nec, vt contra sentiam, mouet me, quod instrumento oppignorato securitati creditoris non adeo sit consultum, vt finaliter in subsidium illi inde satisfieri queat, quia emitor instrumenti forsitan haud inuenietur: nam essentialibus rei oppignorandae requisitis hoc adnumerari nequit, quoniam instrumentum oppignoratum nihilominus fini pignoris h. e. securitati respondere potest; hac videlicet ratione,

vt, quamvis tertio nullam praebeat utilitatem, debitorem tamen valde vrgeat ad fidem datam liberandam, quoniam multum eius interest recuperare vel retinere instrumenti possessionem. Quod denique reliquas attinet species iuris in rem, obseruasse sufficiat, iuris hereditatis nullam, seruitutis vero hanc commodam esse applicationem in hoc argumento.

- a) *L. 9. §. 1. D. de A. R. D.* "Litterae quoque licet aureae sint perinde chartis membranisque cedunt, vt solo cedere solent, quae inaedificantur aut seruntur. Ideoque, si in chartis membranis tuis carmen vel historiam, vel orationem scripsero: huius corporis non ego, sed tu, dominus intelligeris." §. 33. *L. de rer. diuis.* *L. 23. §. 3. D. de R. V.*
- b) Videantur quae docte de ea rc exposuit WESTPHAL über die Arten der Sachen, Besitz etc. §. 432 seq.
- c) Dissentit inter alios LAUTERBACH Coll. theor. pract. Tit. de acquir. rer. dominio. §. 106.
- d) MARTENS de instrum. communii §. 8. 9.
- e) *L. 80. D. de legatis II.*
- f) *L. 1. §. 1. L. 2. D. pro socio.*
- g) *L. vlt. D. de pignor. act.*

§. VII.

Continuatio.

Videndum nunc est de remediiis, quibus assequi possumus, vt nobis edantur instrumenta, ob ius quoddam reale, quod nobis in corpore instrumenti competit. Generaliter ad quaestionem, quibusnam iuris remediiis editio, quam

quam ob ius in rem petimus, persequenda sit, respondendum est; iisdem, quibus aliud ius in rem singularem persequimur. Nullo inde subiacet dubio, rei vindicationi et actioni in rem Publicanae, vt iis dominium, siue civile, siue praetorium, ad efficaciam perducatur, locum esse. Quod aequae ratione dominii solitarii ac condominiumi obtinet. Quando enim instrumenti dominium inter plures commune est, tunc cuiusque dominium, quia quoad partem indiuisam solitarium recte dicitur, pro parte vindicari posse, iuris principiis congruum est, quoniam *quae de tota re vindicanda dicta sunt, eadem et de parte intelligenda sunt a)*. Nec omnis actionum familiae eriscundae et communi diuidendo usus in materia editionis exulat. Me quidem non fugit, istas actiones propositas esse ad tollendam communionem, et consequendas praestationes personales diuisioni connexas, attamen contendendum arbitror, illis quoque effici posse, vt instrumenta edantur, idque tam accidenter, quam actionibus dictis principaliter in istum finem intentis. Prius accedit e. g. quando coheres ex hereditatis diuisione, ad quam coheredem iudicio familiae eriscundae adegerat, fundum sortitur, cui instrumentum accedit: quod facile rei singularis communioni, et communi diuidendo iudicio applicatur. Sunt praeterea quoque casus actionum illarum merae instrumenti editionis causa mouendarum, quorum alterum in exemplo proponere iuuat, cum generalia iuris principia circa illa iudicia etiam hic obtinent. Instrumentis sua natura individuis, in hereditate

ditate pluribus delata repertis, leges disposuerunt, vt ab omnibus recognita et descripta apud alterum coheredum, quem vario modo designant, deponantur, interposita eius, cui traduntur, cautione, instrumenta authentica, si res exegerit, editum iri b). Omnia haec loco diuisionis, quae fieri nequit, intercedunt, hinc quoque eadem actione persequenda videntur, quae pro diuisione actuali oltinenda competit: sic v. c. is, qui maiore ex parte heres existit, a coheredibus actione familiae erciscundae recte petit, vt sibi instrumenta hereditaria custodienda edantur: sic etiam eadem actione plures coheredes cogere possunt eum, qui maiore ex parte heres possessionem instrumentorum hereditariorum nactus est, vt illis ea recognoscendi describendique facultatem praebeat, atque caueat, ipsum, quoties desiderata fuerint, authentica exhibitum esse. Supponunt tamen hactenus dicta, vt is, qui actionibus dictis vti velit, agnitus sit heres, vel talis se probet, vel talis praesumatur propterea quod sit in possessione c). Caeterum sufficere puto simplicem iudicis officii implorationem, ad consequendam communis instrumenti editionem ab eo, qui condominium pentantis haud negat. Praeterea animaduertendum est, instrumentum ex iure dominii peti, et tanquam principale actionis obiectum, et tanquam accessorium. Instrumento denique iure pignoris obligato, iisdem remedii experiendum esse, quibus alia qualicunque re oppignorata, nemo est qui nesciat. Sed, quo magis hisce actionibus experiundi sit copia, actio ad exhibendum iure prodita est

est d).ⁱ Actionis huius fundamentum nequaquam est dominium, sed immediata legis dispositio: attamen, teste ULPIANO e), maxime propter rei vindicationem, siue actionem realem qualemcumque f), introducta est. Plerumque tanquam remedium praeparatorium, tam actionibus personalibus g), quam realibus inseruit: interdum actionis principalis viam atque effectum sortitur h). Quibus omnibus colligitur, etiam instrumentorum exhibitionem hac actione posse obtineri, quod nominatim pluribus legibus approbatur i), dummodo, sicuti in aliis rebus, ius circa ipsum instrumenti corpus doceri queat. Singulärer certe est opinio PACIANI h) et ab eo in testem vocati SALICETI, actionem ad exhibendum propter instrumenta non competere, nisi ob interesse dominii, quod in charta praeendatur, quod speciale in instrumentis esse asserit. Sed sola viri auctoritas me mouere nequit, vt calculum adiiciam sententiae, quae nullis munita est argumentis, et tamen ab omni iuris analogia tam longe recedit, vt vix coniectura assequi potuerit, quid ad istam tuendam sententiam illum impulerit, cum neque instrumentorum natura, neque leges eiusmodi exceptionis rationes ullam praebant, nisi forsitan in illum errorem eo inductum supponamus, quod nulla lege specialiter sanctum est, ob aliud quoque interesse circa corpus instrumenti, praeter dominii, actionem ad exhibendum locum sibi vindicare, quod tamen vix credi potest, quia illud argumentum nullius est ponderis: quisnam enim necessarium putet, repeti ratione cuiuscumque obiecti, quod in unius versum

versum definitum est. Denique cum ea sit iuris in rem indoles, vt etiam contra illum vim exerceat, qui nullo iure nobis obligatus est l), recte inde principium generale stabilitur, ex causa iuris in rem ad edendum vel exhibendum documenta obstrictum esse quemlibet possessorem, siue sit actor siue reus m) siue tertius qui non est in lite, siue priuatus, siue fiscus n): *vbi enim probauit rem meam esse, necesse habebit possessor restituere, qui non obiecit aliquam exceptionem o).*

- a) L. 76. L. 8. D. de R. V. L. 12. §. 6. D. de Publ. in rem act.
- b) Quemadmodum in custodiendis et deponendis instrumentis communibus procedendum sit docent L. 4. §. vlt. L. 5. L. 8. pr. D. Fam. ercise. L. vlt. D. de fide iustrum. L. 15. D. de rebus auct. iud. poss.
- c) Hoc modo explicanda seu potius emendanda videntur, quae nimis indefinite dixit PACIANUS l.c. Cap. 66. nro. 29. petendam esse act. fam. ercise., vel alia, quae pro communioni competat, instrumenti editionem, quod commune dicatur.
- d) L. 2. D. ad exhibendum.
- e) L. 1. D. eodem.
- f) L. 3. §. 3. D. eodem.
- g) L. 3. §. 5. 6. 7. 10. D. L. 2. C. eod. Quibus aperte aduersatur sententia WERNHERI in saepius laudata dissertatione §. 21. actionem ad exhibendum dari tantummodo illi, qui actionem realem, intuitu rei singularis, quam exhibendam petis, intendit, cum LL. cit. alind quoque interesse circa rem exhibendam ad actionem fundandam sufficere doceant.
- h) L. 9. D. eod.

i) L. 3:

i) L. 3. §. 5. D. de tab. exhib. "Si ipse testator dum viuit, tabulas suas esse dicat et exhiberi desideret, interdictum (de tab. exhib.) locum non habebit, sed ad exhibendum erit agendum, ut exhibitas vindicet. Quod in omnibus, qui corpora sua esse dicunt instrumentorum, probandum est." L. 3. D. Test. quemadmodum aperiantur.

k) Lib. I. cap. 66. nro. 23.

l) §. 1. I. de actionibus.

m) Cap. 12. X. de fide instrum. MARTENS I. c. §. 15.

n) L. 7. C. de edendo.

o) L. 9. D. de R. V.

§. VIII

b) De editione ex iure in personam petenda.

Ordo libelli nos eo ducit, ut paulo penitus disquiramus, quando quis, virtute tituli specialis, ex iure in personam proficiscentis, ad edendum cogi possit. Nimis vero otiosum foret, hic longam enumerare seriem causum, in quibus quis gaudere possit facultate exigendi editionem, vi obligationis faciendam. Cum enim instrumenta sint habile commercii obiectum, inde perspicitur, conuentiones cuiuscunque fere generis, de iis, aequae ac de alia re, cuius commercium licitum est, valide iniri, totque praeterea casus speciales obligationis ad edendum existere posse, quot sunt fontes obligationis in genere. Hinc fieri potest, vt personam nobis obstringamus ad editionem instrumentorum, in quibus absque tali conuentione nobis nihil iuris competet: inita v. c. emtione,

locatione rei, vel alio contractu pactoue nominato vel innominato. Cui fundamento etiam initi mihi videtur obligatio notarii, quocum pepigi, vt documenta vel aliud quodcunque scripturae genus conficiat, quam vero communis opinio ex ratione officii publici, quo notarii fungantur, argumento ab argentariis ducto, deducere vult a): qua opera facilime carere possent, si generalia de conuentionebus principia, negotio eiusmodi applicari mallent, cum certissimum sit, notarios nulli teneri, nisi qui cum illis contraxerunt, vel locum contrahentium sustinent. Sed quoad instrumenta petenti propria quoque, haec generalis obligationis ad edendum causa hand exulat. Accedere enim potest iuri, quod in corpore instrumenti nobis competit, hinc efficaciam aduersus quemcumque eius detentorem exserit, ius personale, quod, pro sua natura, certam tantummodo personam adstringit; quare fit, vt praeter actionem realem, personalem quoque aduersus obligatas personas intendere fas nobis sit, quarum posterior pinguior esse solet: cuius rei exemplum est, quando instrumentum meum, quod deposui, commodaui, oppignoraui, vel quod soluto debito iam sine causa apud creditorem existit, actionibus directis depositi, commodati, pignoratitia, vel condicione sine causa repeto. Sed sufficit eius rei hoc loco mentionem fecisse: penitiori eius tractationem, quia nil speciale notatu dignum in ea occurrit, supersedeo.

a) MENOCH Lib. 2, Cent. 5, Cas. 499, nro. 8. DONELLUS Lib. 23, cap. 7.

§. IX.

Eiusdem argumenti continuatio.

Pertinent, quae §. antecedente dixi, ad conuentiones expresse et directe super instrumentis initas. Alia obligacionis ad edendum species est, quae, licet quoque ex facto obligatorio nascatur, tamen principale negotii, cui originem debet, obiectum non est. Dico contrahentium obligationem ad edenda instrumenta, quae vocant correspectiva, vel ratione formae seu constitutionis communia. Nullo dubio subiacere potest, instrumentum, quod communi nomine communibusque impensis contrahentes, super contractu inter ipsos inito, confecerunt, vel confidendum curarunt, inter illos etiam quoad dominium esse commune, hinc alterio ab altero edi debere; de quo iam supra diximus. Nec ambigua est obligatio ad edendum eorum, qui alienas res administrarunt, quales sunt tutores, curatores, negotiorum gestores, socii, mandatarii aliqui. Qui omnes, directo ex ipso negotio, quod inter ipsos et dominum rerum administratarum subsistit, tenentur ad rationes conficiendas, reddendas, ideoque edendas (nam cum redduntur etiam eduntur), quamquam nec instrumentum principale negotii obiectum, nec eius confessio editio principalis eius fuerit scopus: quo praeципue differunt casus, quos hic intelligo, ab paulo ante commemoratis. Probat haec luculenter Paulus Actus a) de mandatariis, sociis et tutoribus, hinc quoque indirecte de quibusuis rerum alienarum administratoribus, aiens, contra hos, ut ad edendum rationes compellantur,

non opus esse Praetoris edicto, contra argentarios proposito, quia speciales eius nomine actiones, mandati, pro socio atque tutelae, propositae sint. Huc referenda mihi quoque videtur veterum argentariorum obligatio ad edendas rationes, de qua maxima tituli Digestorum de edendo pars agit. Ut ita censem, maxime me mouet auctoritas VLPIANI b), qui, postquam dixit, rationes istas tantummodo peti posse, quae ad petentem pertineant, ita pergit: "pertinere autem videtur ad me ratio, si modo eam tractaueris me mandante: sed si procurator meus absente me mandauerit, an mihi edenda sit, quasi ad me pertineat? et magis est ut edatur." Nasci obligationem argentariorum ex conventione, hisce clare evincitur; nam expresse requiritur, quo magis edicto locus sit, ut argentarius mandante domino vel eius procuratore rationes confecerit. Gerere quoque videbantur aliena negotia, quam ob rem PAULUS c) illos quodammodo mandatariis, sociis et tutoribus aequiparat. Communis Doctorum schola, quae argentarios ex ratione officii publici, nequitiam vero ex conventione, obstrictos docet d), frustra nobis opponit, haud opus fuisse edicto praetoris contra argentarios, si absque illo iam obstricti fuissent, et quamvis actio mandati ob interpositionem mercedis cessasset, aliam certe competere debuisse. Facile enim istis respondet: primo, dubium oriri poterat ex Romanorum iurisprudentia, quae tanti habuit formulas, quanam actione aduersus argentarios experiendum sit; cui vt Praetor obuiam iret, proposuit in subsidium persecutionem extraordinariam, seu postulatio-

NOTE

stulationem pro tribunali faciendam, ad edendum, actionem vero in factum ex edicto de edendo, contra eum, qui iussus edere dolo vel culpa lata non edidit e), ad id, quod eius, qui editionem petuit, tempore iniunctae a Praetore editionis f) interfuit g). Secundo, utilitati quoque publicae edicto hoc magis consuluit Praetor: pinguior enim erat ista persecutio alia ordinaria actione, eam ipsam ob causam, quoniam extraordinaria, hinc celerioris expeditionis erat. Hodie certissime, si manus argentiariorum superesset, ad consequendam editionem rationum, quas me mandante tractasset, ex pacto actio mili negari non posset. Sed mihi iam argentarios missum facienti, propositum libellique fines excusationem praebent, praesertim cum iam in vsu esse desierint, et SIEBER h) atque HUBER i) summa cum eruditione, munus, iura atque obligationes illorum ex antiquitate eruerint. Nec est, vt longe morer in repellenda illorum sententia, qui, arguento ab argentariis desumto, mercatoribus obligationem libros rationum edendi iniungere student. Ambo enim omnino non conueniunt nisi in eo, vt conscribant rationes, plane tamen diuersas h) et in longe diuersum finem l); ideoque locus est regulae, a diuersis ad diuersa nulla valet consequentia m).

a) L. 9, pr. de edendo. Quaedam sunt personae, quas rationes nobis edere oportet, nec tamen a praetore per hoc edictum compelluntur; veluti cum procurator res rationesue nostras administravit, non cogitur a praetore per metum in factum actionis, rationes reddere: scilicet quia id consequi possimus per mandati

mandati actionem. Et cum dolo malo socius negotia gessit, praetor per hanc clausulam non intervenit: est enim pro socio actio. Sed nec tutorem cogit praetor pupillo edere rationes: sed iudicio tutelae solet cogi edere.

b) L. 6. §. 5. D. eodem. Add. L. 9. §. 4. D. eod. "ad nos enim pertinet non tantum cum ipsi contraximus, vel successimus ei, qui contraxit, sed etiam si is, qui in nostra potestate est contraxit."

c) L. 9. pr. D. eodem.

d) WERNHER in dicta diss. §. 9. MENOCH l.c. nro. 5. PACIAN l.c. nro. 93. Officium argentariorum munus publicum haud fuisse profuse probat HERM. HUBER in diss. prima de argentariis veterum cap. 3. §. 1 et 2.

e) L. 8. pr. D. eodem.

f) L. 8. §. 1. eodem.

g) L. 6. §. 4. eodem. "Ex hoc edicto actio in id, quod interfuit competit." L. 10. §. 3. eod.

h) Jo. GOTTER. SIEBER Diss. I. et II. de argentariis. Lipsiae 1737 et 1739.

i) HUBER in diss. I. et II. de argentariis veterum.

k) Compara, si lubet, definitioni argentariorum rationum in L. 6. §. 3. D. de edendo occurrenti nostrorum mercatorum rationes et inde differentia apparebit.

l) Argentarii singulorum rationes, ideo singulorum utilitatis causa conficiebant, mercatores illas vero consribunt in propriam utilitatem, vt ipsi sciant quid illis debeatur, vt inde probationem instruant, quatenus ex iure consuetudinario iis licet, breuiter, vt rei familiari inseruant.

m) Conf. MENNCH l.c. n. 37 seq. LAUTERBACH de iure mercatorum thes. 302. Diss. WERNHER diss. cit. §. 11. et quos ab ipsius parte stantes allegat.

§. X.

§. X.

Continuatio.

Denique in iis quoque casibus, in quibus neque condominium probari potest, nec rerum alienarum praecessit administratio, validissimis argumentis innixa mihi videtur obligatio contrahentium ad communicanda inter semet ipsos instrumenta, vel ab altero, ita tamen ut negotio inter ipsos initio inseruat, conscripta; nullo habito respectu, vtrum probationis, an perfectionis causa scriptura accesserit. Quae obligatio, si quid video, nullam causam nullumque fundamentum habere potest, nisi mutuum contrahentium consensum. Quandocunque enim instrumentum super contractu v. g. emtionis venditionis, locationis conductionis, feudali, sive alio conficitur, procul dubio ea est partium mens, ut, orta forsan inter ipsos disceptatione, inde desumi queat probatio eius, quod actum est a). Vnusquisque certe id agit, ut alter stet obligationi: et, quo magis vterque huius voti damnetur, conuenit inter illos, ut litteris concipientur, quae quilibet a sua parte praestanda suscepit. Quo sit, ut haec obligatio ad edendum, pars conuentioneis principalis haberi, ideoque ad eius persecutionem eadem competere debeat actio, quae nascitur ex conuentione, cui hoc pactum adiectum est b). Caeterum per se patet, consensus taciti eandem, quam expressi, vim esse, quorum prior potissimum ex subscriptione instrumenti vtrimeque facta colligitur. Quamuis leges dicta totidem verbis haud disponant, attamen veritas illorum sufficienter elucet ex

D

b. f.

b. f. negotiorum indeole (cuius generis hodie generaliter omnia esse videntur), quippe in quibus magis mens quam verba attendenda sunt; praecipue vero ex generali principio, quo vtitur ULPIANUS c) *aequum esse*, aiens, *id quod mei causa confecit* (argentarius), *meum quodammodo instrumentum mihi edi*.

Praeterea cum in casibus, quos tribus posterioribus §§. tractauimus, obligatio ad edendum ex facto obligatorio nascitur, necessario inde sequitur, editionem ex isto fundamento peti tantummodo posse a persona obligata, vel eo, qui ab illa susceptis obligationibus satisfacere debet d).

a) Ex quo colligitur neminem ea edere oportere, quae in primitum suum usum annotauit vel conscripsit.

b) PACIANUS I. c. cap. 66. nro. 31 seq. ibique allegati DD. contrarium asserunt, contenduntque, nobile iudicis officium implrandum, ad obtinendam editionem, nisi praecesserit contractus, cui administratio, hinc obligatio ad conficiendas rationes inesset.

c) L. 4. §. 1. D. de edendo.

d) MARTENS I. c. §. 18.

§. XI.

II. *De obligatione ad edendum immediata generaliter agitur.*
Ultima denique generalis causa, ob quam quis ab altero recte instrumentorum editionem petit, est immediata legis dispositio, ad quam fundandam specialis acquisitionis titulus haud requiritur. Plura in iure occurruunt exempla, obligationis illi a lege iniunctae, qui neque facto sese

sese obstrinxit, neque in alterius successit obligationem, nec tenet rem, in qua alteri competit ius quoddam: quod etiam in materia de edendo factum reperimus. Dantur enim plures casus, in quibus, quamvis nullus specialium titulorum, de quibus in praecedentibus locuti sumus, adsit, leges aequitate motae editionis obligationem aliquibus ininxerunt, qui alias liberi ab illa forent: ex quibus appareat, cur §. V. alterum generale fundamentum obligationis ad edendum in generali legis dispositione posuimus. Prius vero quam singulos enumeramus casus, differenda sunt quaedam de assertione maxima interpretum partis, tertium quemlibet, absque ullo respecta, et absque speciali causa, obligatum esse ad edendum instrumenta, intuitu quorum mea interesset, ut mihi edantur a). Quam prorsus falsam existimo. Dominii enim fert libertas, ut quilibet de rebus propriis pro arbitrio disponere queat, quatenus expresse legibus non est limitata. Ut igitur aliquis ad proprium instrumentum edendum cogi possit, lex, sine scripta, siue non scripta, adsit necesse est, qua, contra iuris naturae rationem, eiusmodi obligatio imponatur. Cum vero lex, qui illam constituat, haud adsit, illi, qui de iure respondere vult, contendendum erit, *tertium regulariter, nulla speciali causa interveniente, ab editione immunem esse.* Clarissime immo nostra sententia probatur egregia L. 19. D. ad exhibendum, cuius verba ita sese habent: "Ad exhibendum possunt agere omnes quorum interest. Sed quidam consuluit; an possit efficere haec actio, ut rationes aduersarii sibi exhiberentur, quas exhiberi

D 2

magni

magni eius interesset? Respondit, non oportere ius ciuale calumniari nec verba eius captari, sed qua mente quid diceretur, animaduertere conuenire. Nam illa ratione quoque studiosum alicuius doctrinae posse dicere, sua interesse, illos, aut illos libros sibi exhiberi, quia, si essent exhibiti, cum illos legisset, doctior et melior futurus est. Docet nos Iureconsultus non quodlibet interesse sufficere, sed tale requiri, quod iure perfecto conueniat. Frustra inter alios Dn. MANSO b) prouocat ad *L. fin. pr. C. de fide instru-* *mentorum*, quia, cum glossa careat, omni vi et valore in foro destituitur. Nec maius afferunt praesidium leges e titulo *D. de edendo inductae*: nam argentariorum obligationem loquuntur, ideoque nullo modo huc trahi possunt, quia ibi specialis causa (§. IX.) adest. Idem quoque erit dicendum, licet iis adsentias, qui argentarios immediate ex lege obstrictos arbitrantur: nam sic hac exceptione, aequa ac aliis, de quibus mox sermo nobis erit, in casibus non exceptis confirmaretur regula, *tertius ab editione im-* *munis c)*. Confugunt dissentientes porro ad regulam: *quae tibi non nocent, alteri vero prosunt, ad id compelli-* *potes.* Sed nullam illis securitatem praebere potest. Nam nusquam in iure ista thesis, qua generalis regula, occurrit: sed originem debet errori Doctorum speciali dispositione *L. 2. §. 5. D. de aqua et aquae pluv. arc. act. seducto-* *rum d).* Quae si admitteretur, quid inde deduci non posset: omnis priuati dominij libertas concideret, nec amplius differentia inter ius perfectum et imperfectum subsisteret e). Ad summum ethices principium esse potest,

potest, minime vero iuris. Ultimum denique dissentientium argumentum, nempe quod praxis pro illorum sententia militet f), facili refutatur negotio. Nam ut praxis legibus contraria legitimam possit praebere decidendi normam, gaudet necesse est omnibus iuris consuetudinarii requisitis. Igitur nequaquam sufficit, hunc vel illum scriptorem, vel etiam singula praeiudicia pro sua sententia allegasse, quibus facillime alia e diametro contraria opponi possunt; sed plena iuris non scripti probatio peragenda est, quam nisi aduersarii absoluant, nil omnino agunt.

a) GLÜCK ausführliche Erläuterung der Pandecten. Theil 4. §. 226. b. S. 41. et SCHMIDT loco ibi citato. DANZ. Ordentl. Proces. §. 316. MANSO. diss. saepius laudata. §. 25.

b) l. c.

c) Male applicari Praetoris edictum ad tertium quemlibet aperte docent L. 10. §. 1. D. de edendo verba: "Ideo autem argentarios taritum, neque alios ullos absimiles eis edere rationes cogit, quia officium eorum, atque ministerium publicanum habet causam."

d) Falsam istam regulam euincit ill. DN. WEBER von der natürlichen Verbindlichkeit. §. 10. S. 480 sqq. (edit. 2dae).

e) G. BEYER exercit. themat. ex vario iure select. (Lipsiae 1703.) exercit. I. §. 4.

f) GLÜCK l.c. §. XII. Specialiter a) de obligatione ad edenda instrumenta in utilitate negotiorum potentis confecta.

Regula, tertius absque causa speciali ab editionis onere immunis, stabilita et contra argumenta opposita de-

D 3 fensa,

fensa, iam proponemus exceptiones, quas leges ab illa fieri voluerunt. Prima eaque potissima est, ut quilibet, mera iuris auctoritate, in subsidium teneatur, ad edendum instrumenta eum in finem confecta, ut negotiis et causis ad petentem spectantibus inseruant. Cum igitur haud sufficiat ad illam obligationem fundandam, instrumentum, quod in alium finem conscriptum est, forsitan aliquid continere, quod petenti vtile esse possit, sed requiratur, ut scribens illud eo conceperit animo, ut praebeat utilitatem negotiis et rebus, quae, vel tempore confectionis, vel petitionis, ad petentem spectant, nequaquam hac exceptione tollitur regula paragrapho antecedenti finita. Negari quidem nequit, desicere hic, ut in multis aliis casibus, leges, quibus istud principium generaliter firmaretur, quod facile ex codicu[m] nostrorum origine explicari potest. Existunt tamen plures legum dispositiones, ex quibus principium modo propositum haud aegre colligitur. Praeter illud ULPIANI, aequum esse, quod mei causa confectum sit, mihi edi, notabilem hac de re dispositionem reperimus, in L. 3. §. 14. D. ad exhibendum, cuius haec sunt verba: "Interdum aequitas exhibitionis efficit, ut, quamvis ad exhibendum agi non potest, in factum tamen actio detur, ut Julianus tractat. Seruus inquit, vxoris meae rationes meas conscripsit: hae rationes a te possidentur, desidero eas exhiberi. Ait Julianus, si quidem in mea charta scriptae sint, locum esse huic actioni, quia et vindicare eas possum. Nam cum charta mea sit, et quod inscri-

ptum

ptum est, meum est. Sed, si charta mea non sit, quia vindicare non possumus, nec ad exhibendum experiri. In factum igitur actionem mihi competere." Attribuit nempe haec lex ei, de cuius rebus seruus alienus rationes conscripserat, facultatem illarum exigendi editionem a tertio possessore, licet neque petens ius in illis ipsis competens docere possit, nec possessor vlo facto obligatio sese ad editionem faciendam obligasset. Cum igitur tertius quilibet haud tenetur secundum ea, quae supra probauimus, vix vlla ratio subesse potest, nisi principium nostrum.

Mirum quoque in modum L. 24. C. ee fideicommissis confirmatur thesis, vbi immunis quidem declaratur heres directus ab obligatione praestandi fiduciario vel legatario instrumenta, quibus origo praediorum per fideicommissum vel legatum relictorum probari possit: attamen, iuxta hanc dispositionem, heres edere tenetur dictis personis instrumenta, quandocunque opus erit, simulque de adimplenda hac obligatione canere debet. Quibus si addas, quae de qualibet testamenti scriptura leges sanciverunt, certe de veritate nostri principii te conuictum iri speramus. "Tabularum testamenti instrumentum, ait ULPIANUS (a), non est unius hominis, hoc est heredis, sed universorum, quibus quid illic adscriptum est: quin potius publicum est instrumentum." Quod ibi asserit ICtms, testamentum commune esse eorum, quibus in illo aliquid fuerit adscriptum, ita intelligendum est, vt cuilibet honorato-

noratorum competit ius exigendi tabularum editionem, quo magis sit facultas illas inspiciendi describendue: dominium illarum enim penes solum heredem est, cui vindicatio tabularum, sicuti caeterarum rerum hereditariarum competit; et qui ob id ad exhibendum quoque agere potest b). Oh indolem vero ultimarum voluntatum, leges Romanae non honoratis solum ius editionem tabularum petendi attribuerunt, quippe in quorum utilitatem confessae censemur c), sed isud ius ad omnes extenderunt, quorum ex iusta causa interest, certam habere scientiam ultimo iudicio scriptorum d), quam ob rem testamentum publicum dicitur e).

a) L. 2. pr. D. testam, quemadm. aper.

b) L. 3. D. codem.

c) L. 2. pr. cit.

d) L. 1. pr. D. codem.

e) Huc referendus casus, quem LEYSER med. ad Pand. Spec. 307. med. 13. recenset, addita ICtorum Wittenbergensium sententia, quem vero MANSO §. 14. in aliam partem trahere cupit. Pacta enim dotalia aequa ac alia, quibus aliquid relictum est, quod iure Germanico licet, ad instar tabularum testamenti edenda sunt, quamvis principaliter inter coniuges inita sint, quoniam iuxta §. 10. I. de test. ordinandis "tolum quoque negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter testatorem et heredem agi."

§. XII.

(Aristoteles Iur. secund. v. §. XII. ss. dingen imp. rite sive
continet autem. Continuatio: remedia iuris exponuntur.

Subiungere quaedam de remediis, ad persequendum
ius expositum comparatis, e re esse videtur. Quae
diuersa esse iuris nostri conditores voluerunt, prout in-
strumenta, quae petuntur, vel ad negotia et actus quales-
cunque inter viuos celebratos, vel ad causam testamenti
pertineant. Priori casu competit actio in factum a), ad
quam teste PAPINIANO b) ICti facile descendunt, quando
cessantibus iudiciis propositis, et vulgaribus actionibus, pro-
prium nomen inuenire non poterant, hodie vero simpliciter
iudicis officium imploratur, quod fieri potest, quoties-
cunque iure perfecto nobis aliquid debetur, cuius nomine
specialis actio prodita non est c). Posteriori vero casu,
quando instrumenta, quae edenda desideramus, pertinent
ad causam testamenti, h. e. continent qualiscunque ultimae
voluntatis scripturam, duo diuersa remedia Praetores pro-
posuerunt, unum ex edicto in L. 1. pr. D. test. quemadmodum
aper. contento; alterum interdictum de tabulis exhiben-
dis in L. 1. pr. D. de tab. exhib. Vtique utroque licet, non
solum legatariis aduersus heredem d), sed et ipsi heredi e),
et generatim omnibus, quorum ex iure perfecto interest
tabulas exhiberi f). Ea autem inter utrumque remedium
intercedit differentia, vt persecutio extraordinaria ex edicto
testamenta quemadmodum aperiantur detur contra eum,
qui constitutus quidem tabulas penes ipsum existere, sed
nihilominus illas inspici et describi haud patitur g): vt
vero interdicto de tabulis exhibendis experitundum sit

E

contra

contra eum, qui negat, se exhibere posse vel oportere *h*), nec non contra illum, qui dolo fecit, quo minus tabulae sint penes illum *i*), ad id ut praestet, quantum interest, tabulas non edi vel exhiberi *h*); quod etiam actione in factum, quando instrumenta hand ad causam testamenti spectantia petuntur, in subsidium consequimur.

Cæterum hic obseruandum est, mota super hereditate lite, heredes, inter quos res agitur, ut liti finis imponi possit, obstrictos esse ad sibi inuicem edendas scripturas ad ultimam voluntatem pertinentes, nec iis denegari posse ius exigendi tabularum exhibitionem a quoconque earum detentore *l*); quod et ad illos extendendum videtur, quibus aliquid adscriptum est, cuius praestatio a disceptatione inter heredes orta hand pendet, quod, quisquis eius fuerit euentus, debetur. Illi vero, quorum ius lite suspensus est, nec ante illius finem certum existit, ab huins interdicti vsu arcendi videntur, quoniam adhuc dubium est, an illis unquam ius competitum sit. Securitatis tamen causa, ne tabulae vitientur, illi quorum interest, etiam ob ius futurum, et pendente hereditatis controuersia, recte petunt, ut in loco satis tuto deponentur *m*).

a) L. 3. §. 14. D. ad exhibendum.

b) L. 1. pr. de praescriptis verbis.

c) Vid. Principis ICtorum G. L. BOEHMER princ. iur. can. §. 670.

d) Ita illorum usum restringit RULAND l. c. cap. 17. nro. 10.

e) L. 3. §. 12. D. de tab. exhib.

f) L. 3. §. 10. D. eccl. L. 1. pr. L. 2. pr. test. quemadm. aper.

g) In

- g) In quo casu iudicie petitur mandatum.
- h) L. 2. §. fin. D. eodem L. 1. §. 1. de tab. exhib. RULAND I. C.
PACIAN de probat. L. 1. cap. 66. nro. 30.
- i) L. 3. §. 6. D. eodem. exhiberi intelligatur alium illi.
- k) L. 3. §. 11. 12. 13. D. eodem.
- l) L. 1. §. 3-9. D. eodem.
- m) Sic L. vlt. D. eodem accipienda et LL. not. praeced. cit. con-
cilianda videtur.

§. XIV.
b) De obligatione ad edenda acta publica.

Alter casus obligationis ad edendum, cuius fundamen-
tum mera iuris auctoritas est, definitur ab Impp.
SEVERO et ANTONINO in L. 2. C. de edendo hisce verbis:
“Is, apud quem res agitur, acta tam ciuilia, quam crimi-
nalia exhiberi inspicienda, ad inuestigandam veritatis
fidem iubebit.” Sub actorum publicorum nomine a modo
conscripti desumto, hoc loco veniunt scripturae, de
dictis factisue coram iudice, ab ipso conjectae. Genera-
liter ista lege sancitum est, acta publica exhibenda esse,
ideoque non solum partibus, quarum causa conscripta
sunt, sed etiam cuiilibet tertio edenda sunt, qui interesse
legitimum docere potest. Quo probato, indicio exhibi-
tionem detractare prorsus non licet, cum acta plane ad
indicem non pertineant, quippe cui sola illorum cura et
conseruatio, in reipublicae utilitatem, a ciuitate, vel eo qui
illi praest, demandata est. Tantum vero abest, ut docto-
res, qui iudicium de syndicatu conuentum ab hac obli-

gatione immune pronunciant *a*), me adsentientem habent, vt potius putem, praecipuum hunc esse legis finem et rationem, vt ad munus debita fide et diligentia gerendum illa magis impellatur iudex, haud ignorans, licere cuicunque inspicere acta, et etiam post longa temporum interualla, officii perperam gesti argui et conuinci posse *b*).

a) LAUTERBACH Colleg. theor. pract. Lib. 2. Tit. 13. §. 31. ibique allegati BERLICH et CARPOZ.

b) Latius hoc argumentum persecuti sunt Jo. CHRIST. SCHROETER (resp. GOTHOFR. PAULITZ) de editione actorum publicorum ad L. 2. C. de edendo. rec. Jenae 1760. PACIAN de probat. Lib. 1. Cap. 65.

c) Priuilegium fisci ex L. 2. §. 1. 2. D. de iure fisci proponitur.

Tertio fiscus, inter tot tantas praerogatiwas illi legibus attributas, gaudet quoque priuilegio, vt ipsi, quamvis actori, nulla causa speciali interueniente, instrumenta a quocunque edenda sint, quando de causa ciuili agitur *a*). Nimis clarae sunt leges, quibus hoc fisci priuilegium sustentatur, quum vt in dubium vocari queat, an vere iure fundatum sit. Quae cum ita sese habeant, parui vel potius nullius sunt momenti, quae MANO *b*) contradiceri sibi visus est. “*Se non concessurum, inquit, vt fisco a reo instrumenta edenda sint; peius enim se existimare, potiori, qualis est fiscus, quam cuius actori, arma subministrari.*” Agnoscit deinde, priuilegium fisci expressis niti legibus, et, quasi de veritate transacturus, addit, “*se facile illud concessurum, si modo Doctores ad alios haud extenderent.*”

derent." Nihilominus postea hanc format conclusionem; ius illud aut aequum aut iniquum est. Si aequum, cuius actori id concedimus, sin minus, denegabimus etiam fisco aliisque personis priuilegiatis." Quisnam vero in istis verbis interpretem agnoscere potest, cui, quid leges statuerunt, dicendum est. Ita leges ludificari, sane ICTUM non decet. Negari quidem nequit, iure Romano fisco valde faueri: recte vero negatur, ob hunc fauorem fisco priuilegium indubium auferri posse, quod tamen ex modo indirectis procederet. Obiectioni, istam rationem contra leges haud esse attendendam, quam praeuidit MANSO, male ita respondet: *se concessurum dummodo in fisco subsisteretur: ex verbis enim nil colligi potest, nisi illum existimasse, fisco priuilegium expositum ideo denegandum esse, quia perperam ad alias causas extenditur, quam concludendi rationem tamen a vero viri sensu alienum putare mallem, cum illa admissa, vix yllum priuilegium stare posset.* Aequa fere perniciosa est argumentatio finalis, qua hoc ius fisci praecipuum, vel cuius actori, vel nulli, ne fisco quidem, concedendum contendit: nam neque sola aequitatis ratio priuilegium quoddam in ius commune mutare, neque sola iniquitatis seri potius duritici species legibus haud obscuris contrarium statuendi causam praebere potest *c).* Caeterum in illorum transeo sententiam, qui stricte esse interpretandum priuilegium fisci, nec ad ullam aliam causam extendendum contendunt, motus ratione a priuilegiorum indole, regulisque illa interpretandi desunta *d).*

E 3

a) L. 2.

a) L. 2. §. 1. 2. D. de iure fisci. Quin ei, qui instrumenta ad causam fisci pertinentia cum possit exhibere, non exhibet, nocere debeat — totiens edenda esse instrumenta, quotiens de iure capienda, vel de iure dominii, vel de aliqua causa simili, remunaria quaeratur: non si de capitali causa agatur. L. 3. D. de edendo. Delatores, quorum in lege posteriori fit mentio, non ad criminum delatores pertinere, sed ad eos. quibus denunciantur et deferebantur fisco hereditates vacantes, vacantia bona, aliaque plura ab administratoribus fisci occupanda, recte monet Voet in Comment. ad D. Lib. 2. Tit. 13. nr. 18,

b) In diss. cit. §. 2.

c) Velix perpendere et recordari Dn. MANSO quae ipse §. 4. dixit: "non ignoro, legibus inhaerendum L. 1. §. 20. D. de exercit: actione, nec ab eis licet duris recedendum esse L. 12. §. 1. D. qui et a quibus manum: iudices praeterea clementiores legibus esse non debere Nov. 82. cap. 10. sed soli principi leges temperare relinqui L. 1. C. de LL."

d) Protrahitur ad causas ecclesiarum, matrimonii, dotis, alimentorum, legitimae, legatorum ad pias causas, libertatum, studiosorum, pauperum, pupillorum, aliarumque personarum misericordium: quod nullo modo probari potest.

§. XVI.

d) Reo absque speciali causa ab auctore edenda esse instrumenta probatur.

Tandem, etsi nulla causarum specialium adsit, in quibus recensendis hactenus operam posuimus, tamen quarto leges nostrae actorem subiiciunt obligationi ad reo edendum instrumenta, quae pertinent ad causam, de qua inter illos lis agitur a). Vnica igitur haec obligatio ad eden-

edendum immediata ab eo pendet, quod quis partibus actoris in lite fungatur b). Si in legum istarum rationem inquirere velimus, vereor, ut alia probabilis inueniri queat, quam fauor haud dubius, quo reus praे actore in iure vario respectu fruitur: unde generalem regulam c): *Fauorabiliores rei potius quam actores habentur, natam esse constat: cui Caii accedit sententia d): qui agit certus esse debet, cum sit in potestate eius, quando velit experiri, et ante debet rem diligenter explorare, et tunc ad agendum procedere.* Alii alias reddiderunt rationes, quas enumerari et recenseri hic expectari nequit, cum parum ad rem nostram faciat. Maioris autem momenti est disquisitio, cum leges generaliter de actore disponant, quinam ista denominatione comprehendantur. Vix est ut moneam, accipendum esse nomen actoris, non de illo solum, qui primam seu principalem actionem, sed etiam de eo, qui reconventionem intendit, licet posterior simultanei processus effectu gaudeat; nam nulla adest ratio, ob quam hunc liberemus ab onere, quod leges cuius actori imposuerunt. Maior de eo reperitur dissensus inter Doctores, an reus, qui exceptiones suas protulit, respectu actoris replicationem obtendentis pro agentе accipi, hinc actori replicanti instrumenta ad replicam probandam edere debeat. Maxima ICtorum pars e) affirmatiuam tuetur sententiam, potissimum ex his rationibus: primo, quoniam reus excipiendo fiat actor: deinde captant L. vlt. C. de edendo verba finalia: "non oportet originem petitionis ex instrumentis eius, qui convenitur

venitur fundari: denique ad quasdam leges prouocant *f*). Ast ego cum DONELLO *g*) in contrarium sententiam abire non dubito, et reum excipientem ab obligatione edendi immunem arbitror. Nam ut haec rei obligatio contendi possit, iuris auctoritas requiritur. Cum vero leges tantummodo de actore loquuntur, et de rei excipientis obligatione ad edendum altum in illis est silentium, neganda merito videtur actori facultas exigendi ab aduersario editionem, replicationis probandae gratia faciendam. Dissidentes quidem thesin, reum excipiendo actorem fieri clara lege *h*) probari contendunt, et hoc argumento tanquam firmissimo maxime gloriantur; sed facile repellri posse puto. Probat enim nimium, ideoque secundum logices pracepta nihil. Nam si verum probaretur, reum in exceptione esse actorem, inde quoque naturali quidem ratione colligeretur, reo ad exceptionis probationem haud edenda esse instrumenta, cum actori ad actionem probandam non eduntur, quae tamen conclusio a Doctoribus supra nominatis uno ore reiicitur. Nec nobis deest lex aequae generalis, qua probatur, iura quae ratione actionis et actoris constituta sunt, ad reum et exceptionem non esse applicanda: aperte enim sancitum est *L. 8. §. 1. de V. O.* “*Actionis verbo non continetur exceptio.*” Alterum aduersariorum argumentum, ex *L. fin. C. de edendo* desumptum, belle refutat DONELLUS, ipse inde sententiae suaे veritatem euinciens, hisce verbis: “*Quorsum replicatio tendit, nisi ut, exceptione per eam subacta, fundetur i. e. stabilietur petitionis origo alias ruitura.*”

ruitura." Reliqui est, vt dissentientes ex ultimo refugio propulsemus, quod facili negotio peragi potuerit. *L. 29.* §. 2. et *L. 91.* §. 3. *D. de leg. III.* ab illis citatae ne aegre quidem huc trahi possunt, ideoque illas missas facio. Paululum maiorem prae se fert speciem interpretatio *L. penult.* §. vlt. *D. Ad Leg. Falcid.*, a *VOETIO* suscepta. Legatario ad legatum praestandum agenti, exceptio beneficii Leg. Falcid. opposita erat ab herede asserente, ex tutelarum administratione, a defuncto gesta, plus adhuc deberi, quam vt nomina hereditaria sufficerent: desiderabat legatarius omnia instrumenta hereditaria inspiciendi describendique facultatem, ne in potestate sit heredis, proferre quod velit, et per hoc in fraudem inducantur legatarii. Ad quam speciem *SCAEVOLA* respondit, *ad iudicis officium pertinere*, *explorare ea per quae probetur*, *quanti sit in bonis*. Putat *VOETIUS*, hac lege condemnatum esse heredem reum ad edendum, vt legatarii prohibent replicationem de sufficiente hereditatis ad integri legati solutionem mensura. Sed, si quid video, replicationis nullum vestigium, in dicta lege occurrit. Heres, legatariorum intentionem fundatam concedens, seque tamen ab integra legatorum praestatione liberare cupiens, opponit, quartam sibi non esse saluam. Quid naturalius, quidue ordinariis processus regulis magis conueniens est, quam vt illi iniungatur necessitas probandi factum istud, a cuius veritate pendet, an exceptio beneficii Leg. Falcid. iure possit obtendi. Sunt, quae ad euertenda columnae contrariae opinionis, quam fere communem fateri oportet,

tet, dicenda visa sunt: quam si nihilominus amplectaris, restringere saltim debes, ut non edatur a reo, nisi ad fundam replicationem, quae vere talis est, i. e. exceptionem exceptionis i); minime vero ad probanda omnia ea, quae actor in responsione ad libellum exceptionalem, quam in praxi replicas vocant, protulit.

a) L. 5. C. de edendo. "Non est nouum, eum, a quo petitur pecunia, implorare rationes creditoris, ut fides rei constare possit." Idem intuitu rationum publicarum disponit L. 6. C. cod.

"Iustum est desiderium eius, a quo pecunia petitur, licet nomine publico, ut rationibus publicis exhibitis constet, quantum sub suo nomine sit solutum."

b) A regula, actorem ad exceptions probandas edere debere, Doctores eximunt exceptions dilatorias, criminosas, banni, excommunicationis; porro eas, quae merum defensionem hand continent, e. g. praescriptionis, compensationis, dominii, denique eas, quae causis favorabilibus v. c. libertatis, matrimonii, dotis, testamenti opponuntur. PACIAN I. c. cap. 63. nro. 121 - 127. WERNHER diss. cit. §. 15. CLAPROTH *ordentlicher Proces*. Th. 2. p. 300. litt. a. Sed cum eiusmodi restrictiones legibus non probantur, non attendas puto.

c) L. 125. D. de R. I.

d) L. 42. D. eodem.

e) Inter quos nominare sufficit MENOCH de arb. ind. quaest. Lib. 2; Cent. 5. Cas. 499. nro. 83. PACIAN I. c. nro. 115 sq. VOET Comment. Lib. 2. Tit. 13. nr. 18. circa finem. WERNHER §. 15.

f) L. penult. §. vlt. D. Ad Leg. Talcid. L. 29. §. 2. L. 91. §. 3. D. de legislatis III.

g) HILLIGER *Donellus enucleatus*. Lib. 23. cap. 7. litt. B.

h) L. 1.

h) L. 1. D. de except. Agere etiam is videtur, qui exceptiones vtitur, nam reus in exceptione actor est.

i) L. 2. §. 1. D. de except. Replicationes nihil aliud sunt, quam exceptiones et a parte actoris veniunt: quae quidem ideo necessariae sunt, vt exceptiones excludant: semper enim replicatio idcirco obiicitur, vt exceptionem oppugnet.

§. XVII.

Continuatur.

Castigare iuvat alium errorem, ab omnibus fere Doctoribus, qui hoc argumentum tractarunt, admissum. In explicanda regula, *actor reo edere debet, uno quasi ore contendunt, in iudiciis duplicibus utrumque litigantem sibi inuicem ad edendum obstrictum esse a).* Rationem illius assertionis hanc reddunt, quia in istis iudiciis uterque actoris et rei partes simul sustinest, etiamsi alteruter actor forte fuerit electus, electione naturam iudiciorum hand mutante. Sed re penitus inspecta, apparebit, istae opinioni aliquid veri cum falso inesse. Fert iudiciorum diuisiorum natura, vt omnes, qui sunt in communione finium confusorum praedii rustici, hereditatis, vel iuris in re singulari competentis, illis vti possint, ad tollendam communionem, siue ad divisionem faciendam b). Cum vero cuiuslibet iudicij indoles respuit, vt utraque pars siue actorem, siue reum agere possit, id quoque in iudiciis duplicibus obtineat necesse est. Itaque, quando quaeritur, quisnam actor in illis intelligatur, quia per causam omnium videtur, leges c) in hunc modum acto-

rem designant, magis placuit eum videri actorem, qui ad iudicium prouocasset: sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res decerni solet. Falsum inde appetit principium, in iudiciis duplicibus utrumque litigantem actoris partes sustinere: quo corruente, etiam quod inde deducitur, mutuam esse litigantium obligationem ad edendum, corruit. Plerumque tamen euenit in his actionibus, ut ipse actor editionem instrumentorum, quibus actionem instruere possit, exigendi a reo iure gaudeat: cuius ratio non in eo quaerenda est, quasi in iudiciis diuisoriis uterque litigans loco actoris sit, sed potius in qualitate instrumentorum reperitur, quorum editio in istis iudiciis usui esse potest, quippe quae vel communia (§. VI.), vel eius generis esse solent, quae legis auctoritate a quolibet, hinc etiam a reo, peti possunt (§. XII.) d). Qui prouocatus ex *L. dissimari* vel *L. si contendat* agit, vere iure actoris censemur, ideoque prouocanti, et in causa principali reo, edere tenetur, cum prouocationes causae principali nil addunt, nec detrahunt.

Dixi §. praecedenti, edenda esse *omnia instrumenta*, quod legibus ibi (nota a.) citatis repugnare videtur, quia ibi tantum *rations* edi praecipitur. Ast ista obiectio non est tanti ponderis, ut repelliri nequeat. In casibus, qui ibi diuidicantur, pecunia petebatur, quo factum est, ut rationum editio iniungeretur; quod merito ad alia instrumenta extendendum est, quoniam inter rationes, quas quilibet solers paterfamilias domi habere consueuerat, et alia documenta

cum ei priuata, saltim hoc respectu, nulla intercedit differentia. Iam alia difficultas superanda sese praebet: vii dicanda nempe nobis est sententia, *omnia instrumenta esse edenda reo*, contra L. i. §. 3. D. de edendo verba: *Edenda sunt omnia, quae quis apud iudicem editurus est; non tamen ut et instrumenta, quibus quis usurus non est, compellatur edere.* Luculentissime illi, qui verba §. citatae antecedentia inspiciendi operam sumet, apparebit, ULPIANUM ICTUM ibi loqui de obligatione actoris, statim libello, de cuius editione in praecedentibus egerat, documenta, quibus actionem instructurus est, minime vero ea, quibus ipse vti nolit, vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltro debeat. Probatur quoque nostra interpretatio L. 5. C. de edendo, vbi edendae iniunguntur rationes priuatae, quae tamen instrumentis annumerari nequeunt, quibus ipse actor vti possit, quia pro eo omnino nil probant. Denique id quoque considerandum videtur, quod, si lex citata de quauis accipetur editione, prono alueo inde absurdum proflueret: per se enim patet, actorem instrumenta, quibus ipse in iudicio vti velit, edere debere, quia hoc facere recusans, sibi ipse contradiceret: cui bono ergo eiusmodi dispositio? Igitur dicendum est, lege nostra actorem obstringi, ad documenta, quibus petitionem instructurus est, statim cum libello edenda, quod etiam verba, *quae editurus est euincunt*, quippe quae indigitant, actoris arbitrio relictum esse, an actionem instrumentis probare velit: imponi illi e contrario obligationem edendi ea, *quae editurus est*,

ante litem contestatam, siue vna cum actionis libello e). Caeterum animaduertendum est, in casibus a §. XII. usque dum expositis competere actionem in factum, seu hodie simplicem iudicis officii implorationem, ex rationibus supra (§. XIII.) expositis, iuramentumque in litem, commune et ultimum contumaciam coercendi remedium, contra illum, qui iussus edere instrumenta non edit, nominatum esse confirmatum f).

a) MENOCH I. c. nro. 85. PACIAN cap. 63. nro. 129. CARPZOW inrisprud. for. Psrt. I. const. 17. def. 26. WERNHER I. c. §. 19.

CLAPROTH I. c. p. 299.

b) L. 44. §. 4. D. Fam. herciss. L. 37. §. 1. de O et A.

c) L. 13. 14. D. de iudiciis. L. 2. §. 1. D. Communi dividendo.

d) RIVINI in enuncialis iuris Tit. 26. enunc. 14. aliorumque assertio, in actione negatoria reum edere debere, nititur principio hodie multum disputato, in ista actione onus probandi semper reo incumbere, et consequentiae inde erronee deductae, actionem in illa rei vices sustinere.

e) BERGER resol. leg. obstant. Lib. 2. Tit. 13. quæst. 4. Hodie post R. I. N. §. 35. a mero actoris arbitrio pendet, utrum prolatoria statim libello subiungere, an usque post litis contestationem secum retinere malit. Vid. LEYSER medit. ad Pand. Spec. 38. med. 5.

f) L. 10. D. de in lit. iurando.

§. XVIII.

Vsurarios ad edendum non esse obstrictos contra communem opinionem probatur.
Priusquam iis, quae de causis obligationis ad edendum disserui, finem imponam, quasdam circa Clem. vn.

§. 1.

§. 1. de vsuris a) obseruationes subiungere iuuat; in qua
 quintum obligationis immediatae ad edendum casum, viri
 iuri peritissimi fundatum asserunt, tam vnanimiter, vt
 tanta nomina me tironem paene deterruissent, ne, quid
 sentiam, dixisse: ast veritatis studium timorem vicit.
 Ex ista enim lege interpres uno quasi ore regulam ad-
 strunnt: Foeneratores siue vsurarii b), et ad instar illo-
 rum, omnes, de quibus leges male praesumunt c), tenentur
 ad codices rationum contra semetipsos proferendos. Non
 sum is qui negem, ibi foeneratores ad edendum rationes
 proprias obligatos pronunciaui: attamen Doctores, qui illos
 adhuc oneri edendi subiectos contendunt, in errore ver-
 sari arbitror. Inter multas alias leges, quae inde a sae-
 culo IV. vsque ad XVI. contra fenus ab auctoribus eccl-
 esasticis emanarunt, et quibus vsurae prorsus damnatae
 poenisque prohibitae sunt d), lata quoque est a CLEMENTE V.,
 in concilio anno 1300xxxi. Viennae Alobrogum celebrato,
 constitutio, quae in eiusdem Papae decretalium collectione
 de vsuris inscripta est, et cuius partem textus noster con-
 stituit. Nunquam vero prohibitiones istae apud Germanos
 efficere potuerunt, vt fenus ex vsu propelleretur, tum
 quia neutiquam ad clericos pertinebat ius ea de re sta-
 tuendi, tum quia eiusmodi scita omni solida ratione
 prorsus destituebantur, et obseruata vsuriarum prohibitio
 commerciis detrimentum, ne dicam exitium, attulisset e).
 Quibus omnibus factum est, vt vsurae subinde legitimae
 atque iustae, leges vero, illarum odium spirantes illasque
 dannantes, iniustae habitae sint, et siue ab initio effectu
 carue-

caruerint, siue ex post facto consuetudine vniuersali contraria apud nos abrogatae sint. Hactenus dictis appareat, cur obligationem feneratorum ad edendum non agnoscam. Contextus verborum quemlibet conuincere potest, Papam ibi loqui, non tam criminis usuriae prauitatis reos, nec illicitas usuras exercentes, sed potius omnes, qui vel minimas usuras accipiunt. Inde concludo, epistolam decretalem, de qua agimus, aequali censemad esse iure cum omnibus legibus, quas Papae et concilia, ut usuras exciderent, tulerunt, sicque illi vim obligandi prorsus negandam esse. Quae cum ita sint, per se patet, quid de extensionibus istius legis sentiendum sit, cum, corruente vel sublatu fundamento, nec quod illi superstructum est, amplius subsistere potest. Sed, firma quamvis dispositione expressa, tamen vix vlla extensionum illi admittetur, qui limites officii interpretis sanctos habet. Paucis commemorare sufficiat, quomodo in amplianda ista lege Doctores versantur. Primo legis rationem in odio feneratorum positam affirmant; deinceps summam collocant operam in enumerandis et disquirendis iis, qui iuxta illorum sententiam, legibus sunt odiosi, seu de quibus leges male praesumunt, quorum numero potissimum censent, nautas, caupones, stabularios, publicanos, mercatores carius vendentes ob solutionis dilatationem concessam, de haeresi inquisitos, atque Iudeos /), quos omnes denique ad edendum obstrictos concludunt. Sed quorūquaeso eiusmodi argumentatio tandem ducere posset!

a) Verba

- a) Verba eius haec sunt: "Ceterum quia foeneratores, sic ut plurimum, contractus usurarios occulte ineunt et dolose, ut vix conuinci possunt de usuraria prauitate, ad exhibendum, cum de usuris agetur, suarum codices rationum censura ipsos decernimus ecclesiastica compellendos."
- b) WERNHER diss. cit. §. 15. COCCEII ins controv. Lib. 2. Tit. 13. quaest. 11. nro. 5. CLAPROTH *ordentlicher Proces*. Th. 2. p. 300. litt. a.
- c) MENOCH I. c. nr. 21 seq. PACIAN Lib. 1. cap. 63. nr. 66-92. RULAND de commiss. Part. 2. Lib. 5. Cap. 19. nr. 12. 13.
- d) Conf. J. H. BOEHMER diss. de fundamentis usurarum pecuniae mutuaticiae §. 18-22 incl. (in exercit. ad Pand. Tom. 4. exercit. 63.)
- e) Fata usurarum apud Germanos tradit BOEHMER I. c. §. 26 seq.
- f) Quisnam ab indignatione, vel potius a risu temperare potest, legens verba sequentia PACIANI I. c. nr. 86-88: "mihi videtur dicendum, Hebraicum obligatum esse ad edendum, duabus de causis, prima est, quia si nanta, capo, stabularius, et aliae similes personae, secundum communem opinionem, edere tenentur actori, quia de illis iura male praesumant, multo magis Hebreos cogi debere ad edendum, cum de illis iura peius praesumant, quam de aliis, et sint peiores et detestabiliores omni alio malarum personarum genere; secunda ratio est, quia, quod reus actori non edat, id fuit ex aequitate prouisum, sed aequitas Iudeis suffragari non debet."

§. XIX.

Immunitas rei ab edendo ex naturali libertate dominii probatur.

Sic, pro fragilis aetatis viribus, fundamentis obligacionis ad edendum rite distinctis, et generali iuris systemati

G

mati

mati magis accommodatis, viam satis munitam arbitror, vt procedere possim ad disquirendam quaestionem: *Anne reus ex ea sola causa, quod reus sit, hinc nullo speciali obligationis fundamento concurrente, ad edendum, instruendi aduersarium causa, eodem teneatur modo, quo paulo ante actorem obligatum probauimus?* Diu maxima Doctorum pars reum ab ista obligatione imminem indicauit, ita vt haec opinio communis recte dicatur. Quam nuper MANSO, in saepius a me laudata dissertatione, falsam monstrare conatus est. Sed cum persuasum mihi habeam, priorem sententiam validioribus niti argumentis, illius defensionem breuibus adhuc agam, praesertim respectu ad viri illius argumenta habito. Ante omnia recurrentum mili est deuno ad argumentationem, qua iam supra (§. XI.) vsus sum. Dominii nimirum est essentiale, vt domino sit ius, alios quoscunque a re ipsi propria excludendi. Quotiescumque igitur quis sibi asserit ius re aliena, qualicunque ratione, vtendi, vel factum docere debet, quo facultatem istam iuribus annuentibus acquisuerit, vel leges proferat necesse est, quibus naturalis dominii alterius libertas in ipsius utilitatem restricta sit, adeo vt illi liceat, re, cuius dominium ad alium spectat, vtendi, vtrum vna cum domino, an illo excluso, nil hic refert. Hisce principiis, quae nemo in dubium vocavit, ad instrumenta applicatis, liquet, illorum domino ius fasque esse, cuilibet istorum editionem denegare, qui obligationem dominii ad edendum, siue mediatam, siue immediatam, haud probauit. Mediatam abesse, nobis hic supponendum erit, quoniam alio-

alioquin quaestio, quam tractamus, casum non amplectetur. Nostrum igitur est, de immediata videre, quo eo perducimur, ut quaeramus: sintne leges, vel saltim legum argumenta, quibus praecipitur cuiuslibet reo, ut instrumenta propria, actori ad actionem siue fundandam, siue adiuuandam (nam hoc perinde est), edat: quibus deficien-
tibus, reus ab isto onere immunis iudicandus est a); sana enim ratio docet, immediatam obligationem absque illis ne cogitari quidem posse.

a) Igitur haud requiritur, ut obligatio ad edendum legibus remittatur, quod MANSO §. 4. innere videtur, nam absque legibus praecipiatis nulla adest rei obligatio ad edendum.

§. XX.

Leges et argumenta pro rei obligatione allata probandum non probant.

Vt MANSO thesin, *reus ad edendum obligatus*, probet, prouocat §. X. ad L. 1. §. 3. de edendo, quasi firmissimum opinionis praesidium, “quæ clare sancitum ait, *edenda esse omnia, quae quis i.e. pars, siue actor siue reus, apud iudicem editurus sit.*” Iam §. VI. dictam legem interpretandam suscepit, atque probare gestiuit, accipien-
dam esse aequa de reo ac de actore, quia verbum *quis* in illa occurrens nunquam pro *ipse* ponni possit, quod ab illis fieret, qui de solo actore intelligunt. Sed iam supra (§. XVI.) occasione quaestionis, quænam instrumenta actor edere teneatur, sufficienter euicisse puto, ULPIANUM ibi intelligendum esse de instrumentis, vna cum actione edendis. Verbum *ipse* vero, quod aduersarius capit, certo

nil

nil pro eius sententia facere potest. Vno tenore ICtus de actore locutus erat, ideoque, cum verborum sensus ex substrato et compagine optime eruatur, procul dubio vox quis ad reum protrahi nequit. Immo si aduersarii interpretationem admittere velimus, verba, "edenda sunt omnia, quae quis apud iudicem editurus est," nullum omnino sensum sortirentur, nam quid significant, secundum illius sententiam ita concepta: quaelibet pars edere debet alteri omnia documenta, quae ipsa editura est, siue edet. Eiusmodi interpretatio legem nostram superuacaneam atque absurdam efficeret, quae interpretata eo modo, quo accipiendam ostendi, neque superuacanea neque absurdarum dici meretur a); vnde absurditatis criminatio merito in interpretationem recasura est. Mirum sane est, quomodo aduersarius concipere potuerit spem, contrariam sententiam argumento tam leui subuertendi. Longius autem procedit contendens, ne actoris quidem petitione opus esse, vt reus cogi possit ad edendum, sed licere ipsi iudici editionem, quotiescumque necessaria videretur, iniungere ob L.1. C. de edendo. Heic eius refutationi supersedere possum, cum iam antea (§. II.) illius interpretatione defunctus sum, et probatum dedi, tantum abesse, vt ea lege iudicis libero arbitrio relictum sit decernere editionem, quandocumque velit, vt potius ibi causa legitima desideretur. *Magnum momentum thesi suae accedere ex L.2. C. de edendo,* dixit aduersarius §. XI., vehementer illum errare, adiiciens, qui illum de solis actis publicis interpretaretur, quippe quae ibi tantummodo in exemplum vocata essent. Rationem hanc

hanc affert: *inuestigandae veritatis causâ editionem prae-
cipi actorum publicorum: veritatem autem inuestigare
semper iudicis interesse.* Ego autem arbitror, legem
dictam ad acta publica restringentes non in tanto errore
versari, quam Dn. MANSO putat. Iudicibus ibi actorum
publicorum editio imperatur, quomodo quaeso id ad in-
strumenta rei propria trahi potest, cum acta publica et
instrumenta priuata atque propria toto differant coelo!
(\\$ XIV.) Iudicis interesse, vt veritas inuestigetur, nemo
negabit: bene vero conclusionem inde ductam, ideo li-
cere illi dominii libertatem infringere. Ipsi actori dispi-
ciendum, quomodo actionem probet b): iudicis est secun-
dum acta et probata iudicare. Vocat aduersarius porro
*L. penult. §. vlt. D. Ad Leg. Falcid. et L. 48. de A. E.
et V. in subsidium.* Priori nil aliud contineri, quam he-
redem reum ibi obstrictum declarari, ad exceptionem be-
neficii Leg. Falcid., ex instrumentis hereditariis, probandam,
supra (\\$ XVI.) euicimus. Subsistit itaque in *L. 48. cit. c.*,
*qua sententiam mirum in modum confirmari gloriatur
MANSO:* sed certo male. Nam si verba legis attente et
veritati studens legisset, spero illum intellecturum fuisse,
casum plane alium ibi agi, quam de quo nobis res est.
Titius heres fundum Sempronii testatoris ita vendidit,
quidquid Sempronii iuris in eo fuit; tradidit fundum, ast
fines non ostendit emtori: eaque de specie Scaevola re-
spondit, cogi posse venditorem emti iudicio, vt in subsi-
dium instrumenta fundi et fines ostendat emtori. Verba
emti iudicio, et totus contextus aduersarium docere de-
buissent, Titium ibi ad edendum obligatum iudicari, ex

contractu emtionis venditionis, quia vendor emtorem de omnibus iuribus, in hunc per contractum translatis, certiorem reddere debet, neutquam vero eo, quod rei partibus in emitte iudicio fungeretur. Causas obligationis ad edendum eronee miscuit, quae necessario separandae sunt, si vnuquam certis huius doctrinae principiis vti velimus.

a) Contrarium iudicium fert MANSO I. c. §. 5. in fin.

b) L. I. C. de edendo.

c) Verba haec sunt: "Titius heres Sempronii fundum Septimio vendidit: Fundus Sempronianus, quidquid Sempronii iuris fuit, erit tibi emtus tot nummis: vacuanque possessionem tradidit, neque fines eius demonstrauit: Quæritur an emitte iudicio cogendus sit, ostendere ex instrumentis hereditariis, quid iuris defunctus haberit, et fines ostendere? Respondi, id ex ea scriptura praestandum, quod sensisse intelliguntur: quod si non appareat, debere venditorem et instrumenta fundi et fines ostendere: hoc enim contractui bona fidei consonat."

§. XXI.

Continuatur.

Deinde §. XII. sententiam, quam defendit aduersarius, legibus minus expressis, nempe cap. 2. X de mutuis petit: L. 41. pr. D. de R. I. et L. 33. §. 1. D. de V. S. sine villa adhibita vi elici posse autumat: quod tamen valde dubito. Nam cap. 2. cit. dicitur: actoris et rei eandem esse conditionem, et uno eodemque iure circa appellationis remedium debere utrumque censeri; quod negare nemini ne in mentem quidem venit. L. 41. cit. regula generalis proponitur: "ne debeat actori licere, quod reo haud per-

permittitur." Demum L. 83. cit. probare studet, dari casus, in quibus iura actori prae reo faueant, inde L. 125. de R. I. refutat, quam ad ea referendam ait, *quae ad decisionem causae spectant, ita ut iura priora sint ad absoluendum, quam ad condemnandum.* Hisce omnibus regulam stabilitam credit, *aequalem esse utriusque partis conditionem:* hinc, quia actor tenetur edere reo ad probandam exceptionem, reum quoque obligatum esse, ut propria instrumenta edat actori, ad actionem inde fundandam. Quamuis manifestum sit, istis, quae protulit, probationem, quam animo intendebat, haud absoluisset: attamen lubentissime illi concedam regulam, *aequali iure censendos esse litigantes,* addita hac leui limitatione, *quatenus leges alterutri ius praecipuum haud attribuerunt,* quod ab ipsis fieri posse, neminem fugit. Nimirum neutrum litigantium alteri, ex mera causa suscepti iudicii, ad edendum obstrictum esse, palam est, qua in re par utriusque conditio est: sed leges actori, ut aduersario ederet, imperantes, nec tamen idem intuitu rei disponentes, aequalitatem, quae alioquin inter utramque partem subsisteret, sustulerunt. Denique ne aliquid omittat, quod sententiam firmare possit, aduersarius praxeos haud contrariae testimonium ex LEYSERO a) affert, qui testatur, confirmatam esse ICtis Helmstadiensibus sententiam iudicis, qui reo absque speciali causa editionem iniunxerat. Sed vix, ut huic respondeam opus est, nisi hoc; exstare quoque exempla rerum pessime iudicatarum.

a) Medit. ad Pand. Spec. 38. med. 1.

Immunitas rei legibus expressis firmatur.

Hactenus dictis manifestum appareat, reum ab editione liberum esse aestimandum, etsi nil amplius pro eius immunitate asserre possimus: quia, argumentis pro libertate dominii limitanda euersis, nil obstat, quo minus reus alios quoscunque, hinc quoque actorem, ab vsu instrumentorum ipsi priorum iure optimo excludat. Sed praeterea argumento a dominii libertate repetito, clarissimae accedunt leges. Primo *Imp. Antoninus* in *L. 1. C. de edendo* actorem, ab aduersaria rationum editionem petentem, repellit, quoniam ipsi actori, quibus actionem probare queat, prospiciendum sit: quod prioribus legis verbis tam aperte continetur, ut aduersarius melius duxisse videatur, cum aliam explicationem aegre patiuntur, illa silentio praeterire, quamvis §. V. et X. posteriorem textus partem ita torquere studuerit, tanquam si in illa plenum iudicis arbitrium fundatum sit, quibus iam antea respondimus. Suffragatur deinde nostrae sententiae, egregia *L. 4. C. eodem sanctio*: “*Qui accusare volunt, probationes habere debent, cum neque iuris neque aequitatis ratio permittat, ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante, qui conuenit, etsi nihil ipse praestat, obtinebit.*” Dn. MANSO specimen artis criticae editurus, hancce legem sibi sumisit. Contendit, illam nullum nostrae sententiae praesidium asserre, hinc suae opinioni plane non obstat, sed de accusatore tantum accipendum esse, idque §. V. euincere summis nisus est viribus. Verbum *accusare*, in dicta

lege

lege occurrentis, potissimum immo vnicum interpretationis argumentum est, quod ex genio linguae semper in criminalibus adhiberi, pluribus Digestorum Codicis atque Novellarum locis, testimoniisque Cornelii Nepotis, Ciceronis, Taciti, atque denique Helfeldii demonstrare gestiuit. Sane tanto non opus fuisset apparatu probationi theses, proprium vocis *accusare* significatum criminalibus applicari. Nemo enim, qui iuris scientiae operam suam nauat, linguae latinae tam ignarus reperietur, ut quid inter agere et accusare intersit, nesciat. Attamen, quod et ipsi adversario admittitur, verbum *accusare* aliquando, quamvis improprie, pro agere usurpari constat, quod sufficit ad sustinendam communem interpretationem dictae legis. Tota enim illius compago docet, tam actoribus ciuilibus, quam accusatoribus, ibi ius exigendi instrumentorum rei propriorum insperitionem denegari, quod potissimum e conclusione, *actore enim non probante, elucet, quae nullum dubium, ut opinor, supresse sinit, Imperatorem isto loco, et de actore, et de accusatore, statuere.* Existit hic omnino casus improprii significatus proprio anteferendi, quia aliqui subsequentia antecedentibus aegre conciliarentur. Meminisse oportet regulae *Justiniani a), verborum interpretationem* nusquam adeo valere, *ut melior sensu existat.* Nostram interpretationem non solum contextus ipsius legis necessariam reddit, sed alii quoque iuris textus illam adminiculantur; nam iam in *L. 1. C. ej., quae L. 4.* longo annorum spatio praecedit, idem respectu actoris sanctum esse, pluribus locis probauimus. Omnem postremo dubitationem *L. vlt. C. eod. propellit b), quae tanquam com-*

mentarius ad praecedentes leges considerari potest. *Alexander Imp.* ibi ostendit, rescripta sua in *L. 5. et 6. C. ej.*, quibus actorem obligationi ad edendum obnoxium dixerat, nullatenus contraria esse iis, quae *D. Antoninus* auctor *L. 4. ej.* rescriperat, nam multum interesse ait, an ab eo, qui aliquid petit, rationes promi reus desideret, quod aequitas suadet, an vero ab eo, a quo aliquid petitur, actor desideret rationes exhiberi. Nam in lege occurrentia verba, *qui aliquid petit, petitio, is a quo aliquid petitur, actor,* nimis clare indicant, de quo Imperatores sensierint, vtrum de quois actore, tam ciuili, quam criminiali, an de solo accusatore. Nec omittendum videtur, quod Imperator bis *rationum* fecerit mentionem, quarum maximus est vsus in causis ciuilibus, admodum exiguuus vel nullus in criminalibus. Quibus aequa pensatis lance, satius censeo, hac lege declaratoria, legis quartae dubia, si quae forsan sint, propellere, quam methodum contrariam eligere, quod *MANSO* fecit, qui loco omnis interpretationis, iis, quae ad *L. 4. cit.* dixit, in nota haec paucula addidit: “*non aliter explicanda erit L. fin. C. de edendo, quod in primis inde colligo, quoniam haec lex manifeste ad L. 4. C. de edendo spectat, ergo nostrae opinioni non obstat c).*

a) *L. 3. C. de liberis praeteritis.*

b) Verba ita sese habent: “*Et quae a D. Antonino, patre meo, et quae a me rescripta sunt, cum iuris et aequitatis rationibus congruunt. Nec enim diuersa sunt vel discrepantia; quod multum intersit, an ex parte eius, qui aliquid petit, quique dolit exceptione submoueri ab intentione petitionis suea potest, rationes promi reus desideret, quibus se posse instruere contendit; quod vtique ipsa rei aequitas suadet: an vero ab eo, a quo aliquid*

*aliquid petitur, actor desideret rationes exhiberi, quando hoc
casu non oportet originem petitionis ex instrumentis eius, qui
conveniuntur, fundari.*

- c) Omitto hic cap. i. X. de probat, quia de illius vero sensu
magna inter ICtos agitur lis; nec non arg. L. 7. C. de testibus,
quoniam, vbi leges expressae adsunt, argumentis legum haud
opus est.

§. XXIII.

Confutantur quaedam argumenta opposita.

Iam ultimam ponam operam in refellendis iis, quae
praeterea contra thesin, reus ab edendo immunis, in me-
dium protulit aduersarius, ne aliquid suppressisse videar.
Coarguit §. V. nro. 1. leges nostras iniquitatis saltim duri-
tiae: ideoque reliquias asserit. Eiusmodi argumentatio-
nem clarissimis iuris praceptis a) aduersari negare qui-
dem haud potuit: sed replicatione, supponi leges claras
atque perspectas, eludere cupiuit, quam §. praeced. refuta-
vimus, leges clarissimas esse monstrando. Prouocat ad
testimonium LEYSERI b): ast hic, quamquam de duritate
legum queratur, modestia, quae interpretem decet, ita
loquitur: "Si legislatori a consiliis essem, auctor forem,
vt omnes istas tam difficiles et intricatas in doctrina de
edendo regulas, ampliationes, limitationes, exceptiones, una
lege amplectetur, et simpliciter eum, qui instrumenta ad
causam pertinentia possidet, ad ea edenda obligaret. Nec
reum exciperem." Illorum, qui de iurisprudentia legis-
latoria agunt, est, vt eis, penes quos potestas noua con-
dendi iura est, monstrant, quaenam leges sint iniquae
vel durae, hinc abrogandae: interpretis vero officium in eo
consistit, vt doceat, quid legibus, licet inquis et duris, con-
veniat. Opponit porro aduersarius nro. 4. eiusdem §.,
documentorum editionem in utriusque litigantis fauorem
receptam et introductam esse, ideoque hoc beneficium utri-
que parti commune, et nemini inuito adimendum esse. Ast,
vt iis respondeam, necesse non est, quoniam apertissimam
petitionem principii continent, cum prius beneficium istud
probandum erit *commune*. Potiori iure Doctoribus obie-
cit,

cit, illos multis exceptionibus, quarum (§§. VII. et VIII.) septemdecim memorat, iustasque pronunciat, debilitasse, immo sustulisse regulam, reum ab editione liberum esse. Causis vero obligationis ad edendum rite distinctis, et quaestione, quam tractamus, modo, quo feci (§. XIX.), definita, nulla istorum exceptionum mihi facienda, nulla admittenda est. Nam omnes vel regulae non subsunt, vel iuri haud approbantur c). Opponit nobis denique §. III, reum, qui sciens se debere negat, et editionem instrumentorum, quibus editis conuinci posset, detrectat, malitiose agere, et dolo suo locupletiorem exstiturn fore, si ab editione liberaretur, quod leges fieri prohibeant. Non sum is qui negem, reum hoc casu officia imperfecta laedere, et in foro conscientiae absolui haud posse. Quando autem verum dolum, in quem leges animaduertunt, admisisse conuinci nequit d), carere doli criminatione debet, etsi editionem detrectet, praesertim cum dolo quidem faciat, quod se debere neget, iuste tamen agat, quod non edat, quoniam nullus videtur dolo facere, qui suo iure vitur e).

a) Vid. §. XV. not. c).

b) Medit. ad Pand. Spec. 657. med. 26. 27.

c) Posterioris generis imprimis sunt 3, si reo inutilia actori utilia sunt 16. Si eius interest, qui instrumentorum editionem petit 17. Index in iusta causa ex officio nou modo compellere potest, sed debet quoque, reum ad exhibenda contra se documenta, PACIAN I. c. cap. 63. nro. 140, et MENOCH I. c. nro. 87. singularem addunt exceptionem, si editio absque peccato et animi periculo negari nequeat, tunc denunciatione euangelica reum compellendum arbitrantur. Sed refutationis loco sufficiat opponere, quae dixit G. L. BOEHMER in princip. iur. can. §. 671. Male applicatur imploratio officii iudicis, ubi ius imperfectum tantum intervenit, et aequitas lege non agnita et approbata. Inde rationibus iuris destituitur denunciatio euangelica.

d) Dolo vero autem probato, frustra negaret reus, editioque superuacua foret.

e) L. 55, D. de R. I.

T H E S E S.

I.

Delicta extra territorium admissa, ex iure communii vindicanda.

II.

Dominium rerum externarum iure naturae probari nequit.

III.

In actione negotioria, actor haud semper a probationis onere immunis.

IV.

Suo ad beneficium abstinenti confugiente, nec hereditatem possidente, creditoribus agentibus immixtionis probatio incumbit.

V.

Fratribus germanis quer. inoff. test. haud competit, nisi contra turpem personam praelatam.

VI.

VI.

Furiosus haud tenetur ad damnum resarcendum, exceptis casibus dolи vel culpare in interuallis admissi.

VII.

Mater pupillariter substituere nequit. V T

VIII.

Doli in directum et indirectum partitio legibus criminalibus haud conuenit, nec admittenda est.

IX.

Natus ex sponsa illegitimus. XI

XII

Postea cum puerus in corpora puerorum natus sit, puerus puerum esse.

XIII

Postea cum puerus in corpora puerorum natus sit, puerus puerum esse.

XIV

Postea cum puerus in corpora puerorum natus sit, puerus puerum esse.

XV

Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle
005 303 338

3



Sb



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS
DE
CAVSIS OBLIGATIONIS AD EDENDA
INSTRVMENTA IN GENERE

ANNEXIS
VINDICIIS IMMVNITATIS REI
AB EDITIONIS ONERE

QVAM
AVSPICIIIS REGIS
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE CAPESENDIS HONORIBVS

DIE XV. OCTOBRIS MDCCXCVI.

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R
FRIDERICVS WILHELMVS KOSSEL
SVERINO - NEGAPOLITANVS.

G O T T I N G A E
TYPIS IO. CHRISTIAN. DIETERICH.